



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

De præceptis iustitiæ. Quæstio 122.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

*De præceptis iustitiæ, in sex articulos diuisa.*

**D** E inde considerandum est de præceptis iustitiæ.

- ¶ Et circa hoc quærentur lex.
- ¶ Primo, utrum præcepta decalogi sint præcepta iustitiæ?
- ¶ Secundo, de primo præcepto decalogi.
- ¶ Tertio, de secundo.
- ¶ Quarto, de tertio.
- ¶ Quinto, de quarto.
- ¶ Sexto, de alijs sex.

ARTIC. I.

*Vtrum præcepta decalogi sint præcepta iustitiæ?*

**A** D primum sic proceditur. Videtur, quod præcepta decalogi non sint præcepta iustitiæ. Intentio enim legislatoris est ciues facere virtuosos secundum omnem virtutem, ut dicitur \* in 2. Ethicor. Vnde & 5. Ethicor. dicitur, quod lex præcipit de omnibus actibus virtutum omnium. Sed præcepta decalogi sunt prima principia totius diuinæ legis. Ergo præcepta decalogi non pertinent ad solam iustitiam.

611  
 Sup. q. 56  
 a. 1. ad 1.  
 et a. 2. q.  
 q. 140. a.  
 1. ad 3. et  
 q. 148. a.  
 1. ad 1. et  
 12. q. 99.  
 art. 5. ad  
 1. q.  
 100. a. 2.  
 cor. et ar.  
 3. ad 3.  
 \* c. 1. q.  
 lib. 5. c. 1.  
 q. 2. 3. 5.  
 † 1. 2. q.  
 99. ar. 4.  
 \* 1. 2. q.  
 100. a. 3.

¶ 2 Præterea, Ad iustitiam videntur pertinere præcipue præcepta iudicialia, quæ contra moralia diuiduntur, ut supra † habitum est. Sed præcepta decalogi sunt præcepta moralia, ut ex dictis \* patet. Ergo præcepta decalogi non sunt præcepta iustitiæ.

¶ 3 Præterea, Lex præcipue tradit præcepta de actibus iustitiæ pertinentibus ad bonum commune: puta de officijs publicis, & alijs huiusmodi. Sed de his non fit mentio in præceptis decalogi. Ergo videtur, quod præcepta decalogi non pertineant proprie ad iustitiam.

¶ 4 Præterea, Præcepta decalogi distinguuntur in duas tabulas, secundum dilectionem Dei, & proximi: quæ pertinent ad virtutem charitatis. Ergo præcepta decalogi magis pertinent ad charitatem, quam ad iustitiam.



SED contra est, quòd iustitia sola videtur esse virtus, per quam ordinamur ad alterum. Sed per omnia præcepta decalogi ordinamur ad alterum, vt patet discurrenti per singula. Ergo omnia præcepta decalogi pertinent ad iustitiam.

RESPONDEO dicendum, quòd præcepta decalogi sunt prima principia legis, & quibus statim ratio naturalis assentit, sicut manifestissimis principijs. Manifestissimè autem ratio debiti quæ requiritur ad præceptum, apparet in iustitia, quæ est ad alterum: quia in his quæ sunt ad seipsum, videtur primo aspectu quòd homo sit sui dominus, & quòd liceat ei facere quodlibet. Sed in his quæ sunt ad alterum, manifestè apparet quòd homo est alteri obligatus ad reddendum ei quod debet. Et ideo præcepta decalogi oportuit ad iustitiam pertinere. Vnde tria prima præcepta sunt de actibus religionis, quæ est potissima pars iustitiæ. Quartum autem præceptum est de actibus pietatis, quæ est pars iustitiæ secunda. Alia verò sex dantur de actibus iustitiæ communiter dictæ, quæ inter æquales attenditur.

Ad primum ergo dicendum, quòd lex intendit omnes homines facere virtuosos, sed ordine quædam, vt scilicet prius tradat eis præcepta de his in quibus est manifestior ratio debiti, vt dictum\* est.

Ad secundum dicendum, quòd iudicialia præcepta sunt quædam determinationes moralium præceptorum, prout ordinantur ad proximum: sicut & ceremonialia sunt quædam determinationes præceptorum moralium, prout ordinantur ad Deum. Vnde neutra præcepta continentur in decalogo. Sunt tamen determinationes præceptorum decalogi, & sic ad iustitiam pertinent.

Ad tertium dicendum, quòd ea quæ pertinent ad bonum commune, oportet diuersimodè dispensari, secundum hominum diuersitatem. & ideo non fuerunt ponenda inter præcepta decalogi, sed inter præcepta iudicialia.

Ad

Ad quartum dicendum, quod præcepta decalogi pertinent ad charitatem sicut ad finem, secundum illud 1. ad Timoth. 1. Finis præcepti est charitas. Sed ad iustitiam pertinent, in quantum immediatè sunt de actibus iustitiæ.

ARTIC. III.

*Utrum primum præceptum decalogi conuenienter tradatur?*

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod primum præceptum decalogi inconuenienter tradatur. Magis enim homo est obligatus Deo quam patri carnali, secundum illud ad Hebr. 12. Quanto magis obtemperabimus patri spirituum, & viuemus. Sed præceptum pietatis, qua honoratur pater, ponitur affirmatiuè, cum dicitur, Honora patrem tuam & matrem tuam. Ergo multo magis primum præceptum religionis, qua honoratur Deus, debuit proponi affirmatiuè: præsertim cum affirmatio naturaliter sit prior negatione.

612  
1.2. q. 100  
a. 6. et 7.  
Et 3. dist.  
36. ar. 2.

**¶ 2** Præterea, Primum præceptum decalogi ad religionem pertinet, ut dictum est \*. Sed religio, cum sit vna virtus, habet vnum actum. In primo autem præcepto prohibentur tres actus. Nam primò dicitur, Non habebis deos alienos coram me. Secundò dicitur, Non facies tibi sculptile. Tertio verò, Non adorabis ea neque coles. Ergo inconuenienter traditur primum præceptum.

art. præq.

**¶ 3** Præterea, August. dicit \* in lib. de decem chordis, quod per primum præceptum excluditur vitium superstitionis. Sed multæ sunt aliæ noxiæ superstitiones præter idololatriam, ut supra dictum est \*. Insufficienter ergo prohibetur sola idololatria.

c. 9. à me-  
dio, 10. q.  
2. 2. 2.

SED contra est scripturæ auctoritas.

**R**ESPONDEO dicendum, quod ad legem pertinet facere homines bonos. Et idè oportet præcepta legis ordinari secundum ordinem generationis, qua scilicet fit homo bonus. In ordine autem generationis duo sunt attendenda. Quorum primum est, quod

quòd prima pars primò constituitur. Sicut in generatione animalis primò generatur cor; & in domo primò ponitur fundamentum. Et in bonitate animæ prima pars est bonitas voluntatis, ex qua aliquis homo bene vitur qualibet alia bonitate. Bonitas autem voluntatis attenditur ad obiectum suum, quod est finis. Et idè in eo qui erat per legem instituentus ad virtutem, primò oportuit quasi iacere quoddam fundamentum religionis, per quam homo debite ordinatur in Deum; qui est vltimus finis humanæ voluntatis. Secundo attendendum est in ordine generationis, quòd primò contraria & impedimenta tolluntur. Sicut agricola primò purgat agrum, & postea proijcit femina: secundum illud Hierem. 4. Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas. Et idè circa religionem primò homo erat instituentus, vt impedimenta veræ religionis excluderet. Præcipuum autem impedimentum religionis est, quòd homo falso Deo inhæreat: secundum illud Matth 6. Non potestis Deo seruire, & mammonæ. Et idè in primo præcepto legis excluditur cultus falsorum deorum.

Ad primum ergo dicendum, quòd etiam circa religionem ponitur vnum præceptum affirmatiuum, scilicet, Memento vt diem sabbathi sanctifices. Sed erant præmittenda præcepta negatiua, quibus impedimenta religionis tollerentur. Quamuis enim affirmatio naturaliter sit prior negatione, tamen in via generationis, negatio qua remouentur impedimenta, est prior, vt dictum est \*. Et præcipue in rebus diuinis, in quibus negationes præferuntur affirmationibus, propter insufficientiam nostram, vt Dionys dicit \* 2. cap. cxi. hierar.

*In corp.  
art.  
\* c. 2. cal.  
hier. pa-  
rum an-  
te med.*

Ad secundum dicendum, quòd cultus alienorum deorum dupliciter apud aliquos obseruabatur. Quidam enim quasdam creaturas pro dijs colebant absque institutione imaginum. Vnde Varro dicit, quod antiqui Rom. diu sine simulachris deos coluerunt. Et hæc sub-

cultus prohibetur primò, cum dicitur, Nò habebis deos alienos. Apud alios autem erat cultus falſorum deorum ſub quibusdam imaginibus. Et ideò opportunè prohibetur etiam ipſarum imaginum inſtitutio, cum dicitur, Non facies tibi ſculptile. Et ipſarum imaginum cultus, cum dicitur, Non coles ea. &c.

Ad tertium dicendum, quòd omnes aliæ ſuperſtitiones procedunt ex aliquo pacto cum dæmonibus inito, tacito vel expreſſo. Et ideò omnes intelliguntur prohiberi in hoc quod dicitur, Non habebis deos alienos.

ARTIC. III.

*Utrum ſecundum præceptum decalogi conuenienter tradatur?*

613

**A**D tertium ſic proceditur. Videtur, quòd ſecundum præceptum decalogi non conuenienter tradatur. Hoc enim præceptum, Non aſſumes nomen Dei tui in vanum: ſic exponitur in gloſſ. \* Exod. 20. Non exiſtmes creaturam eſſe filium Dei. Per quòd prohibetur error contra fidem. Et Deut. 5. exponitur, Non aſſumes nomen Dei tui in vanum, ſcilicet nomen Dei ligno vel lapidi attribuendo, per quòd prohibetur falſa confeſſio, quæ eſt actus infidelitatis, ſicut & error. Infidelitas autem eſt prior ſuperſtitione, ſicut & fides religione. Ergo hoc præceptum debuit præmitti primò, in quo prohibetur ſuperſtitio.

*Loc. ſup.  
ar. 1. in-  
ductis.  
gl inter-  
tin. ibid.*

¶ 2. Præterea, Nomen Dei ad multa aſſumitur, ſicut ad laudandum, ad miracula faciendum, & vniuerſaliter ad omnia quæ dicuntur vel fiunt à nobis: ſecundum illud ad Col. 3. Omne quodecumque facitis in verbo vel opere, in nomine Domini facite. Ergo præceptum, quo prohibetur nomen Dei aſſumi in vanum, videtur vniuerſalius eſſe quam præceptum, quo prohibetur ſuperſtitio: & ita debuit ei præmitti.

¶ 3. Præterea, Exod. 20. exponitur illud præceptum, Non aſſumes nomen Dei tui in vanum, iurando, ſcilicet pro nihilo. Vnde videtur per hoc prohiberi

beri vana iuratio, quæ scilicet est sine iudicio. Sed malo grauior est falsa iuratio, quæ est sine veritate, & iniusta iuratio, quæ est sine iustitia. Ergo magis debuerunt illa prohiberi per hoc præceptum.

¶ 4 Præterea, Multo grauius peccatum est blasphemia, vel quicquid fiat verbo vel facto in contumeliam Dei, quam periurium. Ergo blasphemia & alia huiusmodi debuerunt magis per hoc præceptum prohiberi.

¶ 5 Præterea, Multa sunt Dei nomina. Ergo non debuit indeterminatè dici, Non assumes nomen Dei tui in vanum.

SED in contrarium est auctoritas scripturæ.

RESPONDEO dicendum, quòd oportet prius impedimenta veræ religionis excludere in eo qui instituitur ad virtutem, quàm eum in vera religione fundare. Opponitur autem veræ religioni aliquid dupliciter. Vno modo per excessum, quando scilicet id quod est religionis, alteri indebitè exhibetur: quod pertinet ad superstitionem. Alio modo, quasi per defectum reuerentiæ, cum scilicet Deus contemnitur: quod pertinet ad vitium irreligiositatis, vt supra hactenus est\*. Superstitio autem impedit religionem, quantum ad hoc, ne suscipiatur Deus ad colendum. Ille autem, cuius animus implicatus est alicui cultui indebito, non potest simul debitum Dei cultum suscipere, secundum illud Isai. 28. Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat, scilicet Deus verus vel falsus à corde hominis; & pallum breue vtrumque operire non potest. Per irreligiositatem autem impeditur religio, quantum ad hoc, ne Deus postquam susceptus est, honoretur. Prius autem est Deum suscipere ad colendum, quàm eum susceptum honorare. Et ideo præmittitur præceptum, quo prohibetur superstitio, secundo præcepto, quo prohibetur periurium ad irreligiositatem pertinens.

Ad primum ergo dicendum, quòd illæ expositiones sunt mysticæ. Literalis autem expositio est quæ habetur Deuteronom. 5. Non assumes nomen Dei tui  
in va-

¶ 97. in  
diuisione  
4. & in  
143.

in vanum, scilicet iurando pro re quæ non est.

Ad secundum dicendum, quod non prohibetur quælibet assumptio diuini nominis per hoc præceptum: sed proprie illa qua assumitur diuinum nomen ad confirmationem humani verbi, per modum iuramenti: quia ista assumptio diuini nominis est frequentior apud homines. Potest tamen ex consequenti intelligi, quod per hoc prohibeatur omnis inordinata diuini nominis assumptio. Et secundum hoc procedunt illæ expositiones, de quibus supra dictum est\*.

Ad tertium dicendum, quod pro nihilo iurare dicitur ille qui iurat pro eo quod non est: quod pertinet ad falsam iurationem, quæ principaliter periurium nominatur, vt supra dictum est\*. Quando enim aliquis falsum iurat, tunc iuratio est vana secundum seipsam, quia non habet firmamentum veritatis. Quando autem aliquis iurat sine iudicio ex aliqua lenitate, si verum iurat, non est ibi vanitas ex parte ipsius iuramenti, sed solum ex parte iurantis.

Ad quartum dicendum, quod sicut ei qui instruitur in aliqua scientia, primo proponuntur quædam communia documenta: ita etiam lex quæ instituit hominem ad virtutem in præceptis decalogi, quæ sunt prima, proposuit ea vel prohibendo vel mandando, quæ communius in cursu vitæ humanæ solent accedere. Et idè inter præcepta decalogi prohibetur periurium, quod frequentius accidit, quam blasphemia, in quam homo rarius prolabitur.

Ad quintum dicendum, quod nominibus Dei debetur reuerentia ex parte rei significatæ, quæ est vna. Non autem ratione vocum significantium, quæ sunt multe. Et idè singulariter dixit, Non assumes nomen Dei tui in vanum: quia non differt per quodcumque nomen Dei periurium committatur.

*In cor. i.  
huius ar.*

*9. 98. a. i.  
ad 3.*



*Vtrum tertium Decalogi præceptum conuenienter tradatur, scilicet de sanctificatione sabbathi?*

614  
2. q. 100. a. 5. ad 2. **A**D quartum sic proceditur, Videtur, quod inconuenienter tertium præceptum decalogi tradatur, scilicet de sanctificatione sabbathi. Hoc enim præceptum spiritualiter intellectum, est generale. Dicit enim Ambros. \* super illud Luc. 13. Archifinagogus indignans quod sabbatho curasset: Lex (inquit) in sabbatho non iubet hominem curare, sed seruilia opera facere, id est, peccatis grauari prohibet. Secundum autem literalem sensum, est præceptum ceremoniale. Dicitur enim Exod. 31. Videte ut sabbatum meum custodiatis: quia signum est inter me & vos in generationibus vestris. Præcepta autem decalogi & sunt præcepta spiritualia, & sunt præcepta moralia. Inconuenienter ergo ponitur inter præcepta decalogi.

¶ 2 Præterea, Ceremonialia legis præcepta continent sacra, sacrificia, sacramenta, & obseruantias, vt supra habitum est. Ad sacra autem pertinebant non solum sacri dies, sed etiam sacra loca, & sacra vasa, & alia huiusmodi. Similiter etiam erant multi sacri dies præter sabbatum. Inconueniens est ergo, quod prætermisiss alijs omnibus ceremonialibus, sola obseruantia sabbathi fiat mentio.

¶ 3 Præterea, Quicumque transgreditur præceptum decalogi, peccat. Sed in veteri lege aliqui transgredientes obseruantiam sabbathi, non peccabant: sicut circumcidentes pueros octaua die, & sacerdotes in templo sabbathis operantes: & Helias cum quadraginta diebus peruenisset ad montem Dei Oreb, consequens est quod in sabbatho itinerauit. Similiter etiam sacerdotes dum septem diebus circumferrent arcam Domini, vt legitur Iosue 6. intelliguntur eam die sabbathi circumtulisse. Dicitur etiam Luc. 13. Nonne vnusquisque vestrum soluit bouem suum aut asinum, & ducit adquare? Ergo inconuenienter ponitur.

ponitur inter præcepta decalogi.

¶ 4 Præterea, Præcepta decalogi sunt etiam in noua lege obseruanda. Sed in noua lege non seruiatur hoc præceptum, nec quantum ad diem sabbathi, nec quantum ad diem dominicam, in qua & cibi coquantur, & itinerantur & piscantur homines, & alia multa huiusmodi faciunt. Ergo inconuenienter traditur præceptum de obseruatione sabbathi.

SED contra est scripturæ auctoritas.

RESPONDEO dicendum, quod remotis impedimentis veræ religionis per primum, & secundum præceptum decalogi, ut supra dictum est\*; consequens fuit, ut tertium præceptum poneretur, per quod homines in vera religione fundarentur. Ad religionem autem pertinet cultum Deo exhibere. Sicut autem scriptura diuina traditur nobis sub aliquibus corporalium rerum similitudinibus. ita cultus exterior Deo exhibetur per aliquod sensibile signum. Et quia ad interiorem cultum, qui consistit in oratione, & deuotione, magis inducitur homo ex interiori Spiritus sancti instinctu, præceptum legis dandum fuit de exteriori cultu, secundum aliquod sensibile signum. Et quia præcepta decalogi sunt quasi quedam prima, & communia legis principia: ideo in tertio præcepto decalogi præcipitur exterior Dei cultus sub signo communis beneficii: quod pertinet ad omnes, scilicet ad representandum opus creationis mundi, à quo requieuisse dicitur Deus septima die: in cuius signum dies septima mandatur sanctificanda, id est, deputanda ad vacandum Deo. Et ideo Exod. 20. præmissis præcepto de sanctificatione sabbathi, assignatur ratio: quia sex diebus fecit Deus cælum & terram, & in septima die requieuit.

ar 2. q.  
3. huius q.

Ad primum ergo dicendum, quod præceptum de sanctificatione sabbathi litteraliter intellectum, est partim morale, partim autem ceremoniale. Morale quidem, quantum ad hoc quod homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum diuinis, **inest**

Inest enim homini naturalis inclinatio ad hoc quòd cuiuslibet rei necessariz deputeur aliquod tempus : sicut corporali refectiõni, somno, & alijs huiusmodi. Vnde etiam spiritali refectiõni, qua mens hominis in Deo reficitur secundum dictamen naturalis rationis, aliquod tempus deputat homo. Et sic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum diuinis, cadit sub præcepto morali. Sed in quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi, sic est præceptum ceremoniale. Similiter etiam ceremoniale est secundum allegoricam significationem, prout fuit signum quietis Christi in sepulchro, quæ fuit septima die. Et similiter secundum moralem significationem, prout significat cessationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo. Et secundum hoc quodammodo est præceptum generale. Similiter etiam ceremoniale est secundum significationem anagogicam, prout scilicet præfiguratur quietem fruitionis Dei, quæ erit in patria. Vnde præceptum de sanctificatione sabbathi ponitur inter præcepta decalogi, in quantum est præceptum morale, non in quantum est ceremoniale.

Ad secundum dicendum, quòd aliæ ceremonie legis sunt signa aliquorum particularium effectuum Dei. Sed obseruatio sabbathi est signum generalis beneficij, scilicet productionis vniuersæ creaturæ. Et idèõ convenientius debuit poni inter præcepta generalia decalogi, quàm aliquid aliud ceremoniale legis.

Ad tertium dicendum, quòd in obseruantia sabbathi duo sunt consideranda : quorum vnum est sicut finis. Et hoc est vt homo vacet rebus diuinis : quod significatur in hoc quod dicitur, Memento vt diè sabbathi sanctifices. Illa enim dicuntur sanctificari in lege, quæ diuino cultui applicantur. Aliud autem est cessatio operum, quæ significatur cum subditur, Septima diè Dñi Dei tui non facies omne opus. Sed de quo opere intelli-

intelligatur, apparet per id quod exponitur Leuit. 23.  
 Omne opus seruite non facietis in eo. Opus autem ser-  
 uile dicitur à seruitute. Est autem triplex seruitus. Vna  
 quidem, qua homo seruit peccato: secundum illud,  
 Qui facit peccatum, seruus est peccati. Et secundum  
 hoc, omne opus peccati dicitur seruite. Alia verò ser-  
 uitus est, qua homo seruit homini. Est autem homo  
 alterius seruus, non secundum mentem, sed secundum  
 corpus, vt supra habitum \* est. Et ideo opera serui-  
 lia secundum hoc dicuntur opera corporalia, in qui-  
 bus vnus homo alteri seruit. Tertia autem est serui-  
 tus Dei. Et secundum hoc, opus seruite posset dici  
 opus latræ, quod pertinet ad Dei seruitium. Si autem  
 sic intelligatur opus seruite, non prohibetur in die  
 sabbathi: quia hoc esset contrarium fini obseruatio-  
 nis sabbathi. Homo enim ad hoc ab alijs operibus ab-  
 stinet in die sabbathi, vt vacet operibus ad Dei ser-  
 uitute pertinentibus. Et inde est, quod sicut dicitur  
 Ioann. 7. circumcisionem homo accipit in sabbatho,  
 vt non soluat lex Moyfi. inde etiam est quod  
 sicut dicitur Matth. 12. Sabbathis sacerdotes in tem-  
 plo sabbathum violant, id est, corporaliter in sabbatho  
 operantur, & sine crimine sunt. Et sic etiam sa-  
 cerdotes in sabbatho circumferentes arcam, non trá-  
 sgredebantur præceptum de sabbathi obseruatione.  
 Similiter etiam nullius spiritualis actus exercitium  
 est contra obseruantiam sabbathi: puta, si quis doceat  
 verbo vel scripto. Vnde Num. 28. dicit gloss. quod fa-  
 bri & huiusmodi artifices otiantur in die sabbathi.  
 Lector autem diuinæ legis, vel doctor, ab opere suo  
 non desinit. Nec tamen contaminatur sabbathum: sicut  
 sacerdotes in templo sabbathum violant, & sine crimi-  
 ne sunt. Sed alia opera seruilia, quæ dicuntur seruilia  
 primo vel secundo modo, contrariantur obseruantie  
 sabbathi, in quantum impediunt applicationem ho-  
 minis ad diuina. Et quia magis homo impeditur à re-  
 bus diuinis per opus peccati, quam per opus licitum,  
 quamuis sit corporale: ideo magis contra hoc præce-

Sec. Sec. Vol. Ij.

XK

ptum

9 104 a.  
 5 104 b  
 ad 1. ar.

s. 3. ante  
ms. 10. 9.

ptum agit qui peccat in die festo, quàm qui aliud corporale opus licitum facit. Vnde August. dicit in lib. \* de decem chordis, Melius faceret Iudæus in agro suo aliquid vile, quàm si in teatro seditiosus existeret. Et melius feminæ eorum die sabbathi lanam facerent, quàm quòd tota die in neomenijs suis impudicè saltarent. Non enim qui peccat venialiter in sabbatho, contra hoc præceptum facit: quia peccatum veniale non excludit sanctitatem. Opera enim corporalia ad spiritualem Dei cultum non pertinentia, in tantum seruilia dicuntur, in quantum propriè pertinent ad feruientes. In quantum verò sunt communia & seruis & liberis, seruilia, non dicuntur. Quilibet autem tam seruus quàm liber tenetur in necessarijs providere, non tantum sibi, sed etiam proximo, præcipuè quidem in his quæ ad salutem corporis pertinent: secundum illud Proverb. 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem. Secundariò autem etiam in damno rerum vitando, secundum illud Deut. 22. Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo. Et ideo opus corporale pertinens ad conferuandam salutem proprii corporis, non violat sabbathum. Non enim est contra obseruantiam sabbathi, quòd aliquis comedat, & alia huiusmodi faciat, quibus salus corporis conferuatur. Et propter hoc Machabæi non polluerunt sabbathum, pugnantes ad sui defensionem die sabbathi, vt legitur primi Machab. 2. Similiter etià nec Helias fugiens à facie Iezabel in die sabbathi. Et propter hoc etiam dominus Matthæi 12. excusat discipulos suos qui colligebant spicas in die sabbathi, propter necessitatem quam patiebantur. Similiter etiam opus corporale quòd ordinatur ad salutem corporalem alterius, non est contra obseruantiam sabbathi. Vnde dicitur Ioannis septimo, Mihi indignamini, quia totum hominem saluum feci in sabbatho. Similiter etiam opus corporale quòd ordinatur ad immittens damnum rei exterioris vitandum, non violat sabbathum. Vnde dicit dominus Matth. 12. Quis erip

ex vobis homo qui habet vnam ouem, & si ceciderit sabbatho in foueam, nonne tenebit & leuabit eam?

Ad quartum dicendum, quod obseruantia diei Dominicæ in noua lege succedit obseruantie sabbathi, non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesie & consuetudine populi Christiani. Nec etiam huiusmodi obseruatio est figuralis, sicut fuit obseruatio sabbathi in veteri lege. Et ideo non est ita arcta prohibitio operandi in die Dominica, sicut in die sabbathi. Sed quædam opera conceduntur in die Dominica, quæ in die sabbathi prohibebantur: sicut decoctio ciborum, & alia huiusmodi. Et etiam in quibusdam operibus prohibitis, facilius propter necessitatem dispensatur in noua, quàm in veteri lege: quia figura pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet. Opera autem secundum se considerata immutari possunt pro loco & tempore.

ARTIC. V.

Utrum conuenienter tradatur quartum præceptum de honoratione parentum?

615

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter tradatur quartum præceptum de honoratione parentum. Hoc enim est præceptum, quod pertinet ad pietatem. Sed sicut pietas est pars iustitiæ, ita etiam obseruantia, & gratia, & alia de quibus dictum \* est. Ergo videtur, quod non debuit dari speciale præceptum de pietate, cum de alijs non datur.

3. dist. 17.  
a. 2. q. 2.

q. 101. et  
102.

¶ 2 Præterea, Pietas non solum exhibet cultum parentibus, sed etiam patriæ, & alijs sanguine coniunctis, & patriæ benèuolis, vt supra dictum \* est. Inconuenienter ergo in hoc quarto præcepto fit mentio solum de huiusmodi honoratione patris & matris.

q. 101. a.  
1.

¶ 3 Præterea, Parentibus nõ solum debetur honor & reuerentia, sed etiam sustentatio. Ergo insufficienter sola parentum honoratio præcipitur.

¶ 4 Præterea, Contingit quandoque quod hi qui honorant parentes, cito moriuntur: & e contrario qui

Xx 2 paren-

parentes non honorant, diu viuunt. Inconuenienter ergo additur huic præcepto hæc promissio, Vt sis longiuus super terram.

IN contrarium est sacre scripturæ auctoritas. RESPONDEO dicendum, quod præcepta decalogi ordinantur ad dilectionem Dei & proximi. Inter proximos autem maximè obligamur parentibus. Et ideo immediatè post præcepta ordinantia nos in Deum, ponitur præceptum ordinans nos ad parentes, qui sunt particulare principium nostri esse, sicut Deus est vniuersale principium. Et sic est quædam affinitas huius præcepti ad præcepta primæ tabulæ.

q. 101. a. 1. & 2.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut supra dictum \* est, pietas ordinatur ad reddendum debitum parentibus: quod communiter ad omnes pertinet. Et ideo inter præcepta decalogi, quæ sunt communia, magis debet poni aliquid pertinens ad pietatem, quàm ad alias partes iustitiæ, quæ respiciunt aliquod debitum speciale.

Ad secundum dicendum, quod per prius aliquid debetur parentibus, quàm patriæ & consanguineis: quia per hoc quod sumus nati à parentibus, pertinent ad nos & consanguinei & patria. Et ideo cum præcepta decalogi sint prima præcepta legis, magis ordinatur homo per ea ad parentes, quàm ad patriam, vel ad alios consanguineos. Nihilominus tamen in hoc præcepto, quod est de honoratione parentum, intelligitur mandari quicquid pertinet ad reddendum debitum cuiuscumque personæ, sicut secundarium includitur in principali.

q. 101. a. 2.

Ad tertium dicendum, quod parentibus, in quantum huiusmodi, debetur reuerentiæ honor. Sed sustentatio & alia huiusmodi debentur eis ratione alicuius accidentis: puta, in quantum sunt indigentes, vel serui, vel aliquid huiusmodi, vt supra dictum \* est. Et quia quod est per se, prius est eo quod est per accidens: ideo inter prima etiam præcepta legis, quæ sunt præcepta decalogi, specialiter præcipitur honoratio paren-

parentum : in qua, sicut in quodam principali, intelligitur mandari & sustentatio, & quicquid aliud parentibus debetur.

Ad quartum dicendum, quod longæuitas promittitur honorantibus parentes, non solum quantum ad futuram vitam, sed etiam quantum ad præsentem: secundum illud Apostoli 1. ad Tim. 4. Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Et hoc rationabiliter. Qui enim est gratus benefico, meretur secundum quandam congruentiam vt sibi beneficium conseruetur. Propter ingratitude autem meretur aliquis beneficium perdere. Beneficium autem vitæ corporalis post Deum à parentibus habemus. Et ideo ille qui honorat parentes, quasi benefico gratus, meretur vitæ conseruationem: qui autem non honorat parentes, tanquam ingratus meretur vita priuari. Quia tamen præsentia bona vel mala non cadunt sub merito vel demerito, nisi in quantum ordinantur ad futuram remunerationem, vt dictum \* est: ideo quandoque secundum occultam rationem diuinorum iudiciorum, quæ maximè futuram remunerationem respiciunt, aliqui qui sunt pij in parentes, citius vita priuantur; alij verò qui sunt impij in parentes, diutius viuunt.

1. 2. q. 114  
ar. 10.

ARTIC. VI.

*Verum alia sex præcepta decalogi conuenienter tradantur?*

**A**D sextum sic proceditur. Videtur, quod alia sex præcepta decalogi inconuenienter tradantur. Nō enim sufficit ad salutem quod aliquis proximo suo nō noceat: sed requiritur quod ei debitum reddat: secundum illud ad Rom. 13. Reddite omnibus debita. Sed in sex vltimis præceptis solum prohibetur nocumentum proximo inferendum. Ergo inconuenienter prædicta præcepta tradantur.

616  
3. d. f. 37.  
a. 2. q. 2.

¶ 2. Præterea, in prædictis præceptis prohibentur homicidium, adulterium, furtum, & falsum testimonium, sed multa alia nocumenta possunt proximo infer-



54  
uens.

inferri, vt patet \* ex his quæ supra determinata sunt. Ergo videtur quòd inconuenienter sint tradita huiusmodi præcepta.

¶ 3 Præterea, Concupiscentia dupliciter potest capi: vno modo secundum quod est actus voluntatis, vt dicitur Sap. 6. Concupiscentia sapientiz deducit ad regnum perpetuum. Alio modo, secundum quòd est actus sensualitatis, sicut dicitur Iac. 4. Vnde bella & lites in vobis? Nonne ex concupiscentijs, quæ militant in membris vestris? Sed per præceptum decalogi non prohibetur concupiscentia sensualitatis: quia secundum hoc primum motus esset peccata mortalia, vtpote contra præceptum decalogi existentes. Similiter etiam non prohibetur concupiscentia voluntatis: quia hæc includitur in quolibet præcepto. Ergo inter præcepta decalogi inconuenienter ponuntur quædam concupiscentiz prohibitiua.

¶ 4 Præterea, Homicidium est grauius peccatum quam adulterium vel furtum. Sed nõ ponitur aliquod præceptum prohibitiuum concupiscentiz homicidij. Ergo etiam inconuenienter ponuntur quædam præcepta prohibitiua concupiscentiz, furti, & adulterij.

S E D in contrarium est auctoritas Scripturæ.

R E S P O N D E O dicendum, quòd sicut per partes iustitiz debitum redditur aliquibus determinatis personis, quibus homo ex aliqua speciali ratione obligatur: ita etiam per iustitiam propriè dictam aliquis debitum reddit communiter omnibus. Et ideo post tria præcepta pertinentia ad religionem, qua redditur debitum Deo; & post quartum quod est pietatis, qua redditur parentibus debitum, in quo includitur omne debitum quod ex aliqua speciali ratione debetur; necesse fuit quòd ponerentur consequenter aliqua præcepta pertinentia ad iustitiam propriè dictam, quæ indifferenter omnibus debitum reddit.

Ad primum ergo dicendum, quòd communiter ad hoc obligatur homo, vt nulli inferat nocumentum. Et ideo præcepta negatiua, quibus prohibentur nocumen

QVÆST. CXXII. ART. VI.

ta quæ possunt proximis inferri, tanquam communia fuerunt ponenda inter præcepta decalogi. Ea vero quæ sunt proximis exhibenda, diuersimodè exhibentur diuersis. Et ideo non fuerunt inter præcepta decalogi ponenda de his affirmatiua præcepta.

Ad secundum dicendum, quòd omnia alia nocumenta quæ proximis inferuntur, possunt ad ista reduci, quæ his præceptis prohibentur, tanquam ad quædam communiora & principaliora. Nam omnia nocumenta quæ in personam proximi inferuntur, intelliguntur prohiberi in homicidio, sicut in principali. Quæ verò inferuntur in personam coniunctam, & maximè per modum libidinis, intelliguntur prohiberi simul cù adulterio. Quæ verò pertinent ad damna in rebus illatis, intelliguntur prohiberi simul cum furto: Quæ autem pertinent ad locutiones (sicut detractiones, blasphemias, & si qua huiusmodi) intelliguntur prohiberi in falso testimonio: quod directius iustitiæ cõtrariatur.

Ad tertium dicendum, quòd per præcepta prohibitiua concupiscentiæ non intelligitur prohiberi primus motus concupiscentiæ, qui consistit infra limites sensualitatis. Sed prohibetur directè consensus voluntatis, qui est in opus vel in delectationem.

Ad quartum dicendum, quòd homicidium secundum se non est concupiscibile, sed magis horribile: quia non habet de se rationem alicuius boni. Sed adulteriũ habet rationem alicuius boni, scilicet delectabilis. Furtum etiam habet rationem alicuius boni, scilicet vtilis. Bonum autem de se habet rationem concupiscibilis. Et ideo fuit specialibus præceptis prohibenda concupiscentia furri & adulterij, non autem concupiscentia homicidij.

*Secundi Voluminis Secunda Secunda Partis Summa  
totius Theologiæ S. Thomæ Aquinatis  
F I N I S.*